

x

Pontificis , sunt in Bibliothecam , mea
cura , illati : quos nempe Petrus a Val-
le Patricius Romanus olim ex Oriente
collegerat : quos Abraham Massad , Sy-
rus Maronita , ex Ægypto attulerat :
quos Josephus Chaldæorum Patriarcha
in Urbe moriens , Diacono suo lega-
verat : quos Abraham Ecchellensis , e-
jusque in Romano Archigymnasio suc-
cessor Faustus Naironus e Syria com-
paraverat : quos Gabriel Eva Ordinis
S. Antonii Monachus , & Monasterii
Ss. Marcellini & Petri a CLEMENTE XI.
exstructi Abbas , e Berhœa Syriæ Me-
tropolim in Urbem convexerat : quos de-
mum ex optimis Archetypis Bibliothe-
carum Romæ & Bononiæ , Clemens
Caracciolus , Ægyptius Neophytus , lu-
culentissimo Arabico caractere exscri-
pserat . Uno igitur hoc CLEMENTIS Pon-
tificis beneficio res Theologica novis
subsidiis , Ecclesiastica Historia multis
synchronis ac locupletissimis testi-
moniis est instructa : Veterum Patrum li-
bri